

Corpus sanctissimi Præsulis, ut Harius refert, antiquitus in crypta Basilicæ humatum fuit, tumulo etiam è terra altius erecto; cujus tamen nulla vestigia monstrata. Neque alius mos tum erat, quàm humili & angusto sepulchro claudere Episcopos; qualis D. Ludgeri & tot Episcoporum in cœnobio Werthinensi conspiciuntur hodieum. Imadustandem XII. Episcopus ossa primorum Episcoporum anno Christi MLXVIII collegit in unum tumulum & urnam, collocavitque honoratiore simul loco in crypta ante aram à Leone Pontifice olim consecratam, ac muro sepulchra inclusit, cippo contacta. Dies hujus translationis VII idus Septembris Divum etiam honoribus celebris est habitus. Locus ipse cryptæ constructis altaribus, constitutis sacrificijs, piorum oblationibus, ac votivis supplicum precibus cultus, non sine beneficijs cœlitus etiam impetratis. Deinde cum ab ingressa hæresi in urbem, ac per longa superiorum temporum bella, Hathumari ceterorumque Episcoporum memoria rursus prope obruta jacuisset, cippo etiam tumuli ablato, ut parum de communi sepulchro constaret;

Cujus ossa  
elevata ab  
Imado  
Episcopo  
ann. 1068.

**F E R D I N A N D U S** Episcopus demum monumentum instauravit, ossaque, inter quæ adhuc quinque capita reperta sunt integra, mundioribus integumentis involuta, quàm honorificentissimè condidit. Atque ut posteritatis memoriæ ac pietati certius consuleret, tumulum altius & magnificentius erexit è terra, è cuius impositi lapidis planitie hæc elegans **F E R D I N A N D I** Episcopi nostri inscriptio legitur.

Deinde  
pristinæ  
venera-  
tionis re-  
stituta à  
Ferdinan-  
do II. Epi-  
scopo an-  
no 1666.

**SEPUL-**